

**Collegii Disputatorii Theses Morales Theologicas exhibentis ...**

**Disputatio V.**

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1713]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003409296>

Band (Druck) Freier  Zugang



*U. - Thiel 1913 Repin, Franz Albert /c*



Q. D. B. V.

COLLEGII DISPUTATORII

**THESES MORALES  
THEOLOGICAS**

exhibentis

*DISPUTATIO V.*

Quam,

*Consentiente Summè Rev. Fcitate Theologica,*

PRÆSIDE

**FRANCISCO ALBERTO  
ÆPINO,**

PH. & TH. D. LOG. PROF. DUC. PUBL.

D. MARTII, ANNO MDCCXIII.

ventilationi expositurus est

*JOHANN. JOACH. RASCH.*

Hamburg. S. S. Theol. St.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi  
Senatus Typographi.

---

 THESIS I.


Acra Cœna Dominica uti Sacramentum confirmationis est ; ita eò frequentius homini Christiano eodem est utendum , qvo magis subinde fides ejus infirmatur , ac confortatione opus habet. *I. Cor. XI. 25. 26.* Curandum autem maximè est , ut dignè hocce Sacramento utamur , ad quod præcipuè antegressa probatio requiritur , *I. Cor. XI. 27. 28. 29.* Quoniam igitur infantes probare seipfos non possunt , corpusqve Domini discernere non valent , hinc ante plenioris rationis usum & adultam aliquantum ætatem admittendi ad hoc Sacramentum non sunt.

## THESIS II.

Quonqvam potestas administrandi Sacramenta ordinariè sit penes solum ordinarium Ministerium Ecclesiasticum : Ministri enim Ecclesiæ ordinarii sunt mysteriorum divinatorum dispensatores , *I. Cor. IV. 1.* extraordinariè tamen in casu extremæ veræqve necessitatis , uti alios actus ministeriales , ita & S. Coenæ administrationem abs Laico peragi posse , arbitramur. Fatendum equidem est , tantæ quidem necessitatis non esse Coenæ Dominicæ usum , quantæ Baptismi , juxta dictum Christi Joh. III. 5. qvale quid de Sacramento altaris nullibi dictum invenimus , & hinc fidem loco manducationis & bibitionis esse posse , sicubi ab ordinario Ministro , qvales evenire casus posse nostra nos ætas circum nos docuit , haberi hocce Sacramentum neqveat , secundum illud : crede , & manducasti , crede , & bibisti ; si tamen homo quidam moribundus ad confirmandam fidem , si illa in extremis angustiis , ut sit in agonizantibus , deficere velit , sine Coenæ Dominicæ usu se acquiescere & credere non posse , persuasum sibi habuerit , Verbo etiam Sacramentum additum causatus ; tum melius erit , si a Laico , qvem tamen ad hoc rogatum , atqve sic , quantum ad hunc actum , vocatum esse oportet , Sacramentum illud acceperit , quam ut in gravem de suâ salute dubitationem , forte & desperationem incidere permittatur. Beneficia namqve Ecclesiæ toti illi à Christo concessa sunt ; Ecclesiæ autem non solum in majoribus hominum cœtibus consistit , sed jam est , ubicunqve duo aut tres in nomine JESU congregati sunt , Matth. XIIX. 20. Et si in necessitatis casu alterum id flagitantem

gitantem absolvere Laico licet: licet autem omninò juxta *Artic. Smalcald. p. 353.* cum dicitur: *In casu necessitatis absolvit etiam Laicus, & fit Minister ac Pastor alterius*; ecquid prohibet, cur non etiam in hoc alterius Minister fieret Laicus, ut illi desideranti & penitenti Sacramentum Coenæ porrigeret in fidei de verà peccatorum remissione confirmationem? *Conf. BIDE MBACHII Consil. Theol. Dec. III. Conf. 5.* ut Dannhawerum, Tob. Wagnerum, nostrum Dn. D. Fechtium, aliosque veteres, consentientes, taceamus. Neutiquam tamen Fanaticis concessum volumus, etiam citra necessitatem promiscuè omnibus hoc Sacramentum administrare permissum esse: quemadmodum non sequitur, obstetricum id ordinarium munus esse, quia extremæ necessitatis in casu infantes recens editos baptizare possunt.

THESIS III.

Ceremonias, quæ circa Coenæ Dominicæ Sacramentum adhiberi in Ecclesiâ nostra solent, magna audacia, omnes improbare, imò ut superstitiosas magnam partem damnare aggressus est *WAGNERUS Diss. Inaug. de jure Sabbati Cap. IV. n. 190. --- 245.* De quibus igitur in genere tenendum, quod mandatum divinum non habeant, adeoque absolutæ necessitatis non sint, ita tamen comparata, ut vel reverentiam nostram erga hocce Sacramentum testentur, vel spirituale aliquid significant. Deinde quod, ut liberè ordinatæ ab Ecclesia sunt, ita & pro eadem libertate abrogari rursus possint, quemadmodum etiam in illis nuperrimè, auspicio Serenissimi Principis nostri, vi *Declarationis Constit. Eccles. Mecklenb. Cap. 2.* quædam mutata, præsertim quantum ad Lenarum usum & adfessionem communicantium ad altare, mutata sunt. De priori verba habent: *pl. D. f. 3. b: Die Chor, Hembde und Mess, Gewandte / weil sie an den meisten Orten nicht mehr vorhanden / sollen NB. Christlicher Freyheit / und besserer Conformität halber / hinführo wegbleiben. De posteriori pl. D. f. 4. Wie wir dann auch hiedurch verordnen / daß nicht ein Theil umb den Altar gehe / ein ander Theil aber Tische mache / als welches ein offenbahres Kennzeichen einer wissendlichen Trennung ist: sondern wie das Tisch machen bey Zeiten unserer vorfahren lobseligsten Andenkens schon an den meisten Ohrten eingeführet und herkommens ist / so soll solches allein behalten / und wo es noch nicht ist / eingeführet werden*

werden / &c. Tandem quod temere abrogandæ non sint, aut in iis aliquid mutandum, tum ob simpliciores ac infirmiores inter nos, tum quia Adversarii sub specie necessitatis illarum abrogationem urgent, cum tamen nihil illis iniqui subit, in Ecclesiis nostris ab omni superstitione repurgatis.

THESIS IV.

Optimè etiam præcipit modo memorata *Erläuterung der Fürstl. Mecklenb. Kirchen-Ordnung loc. alleg.* Die Gemeine soll bey der Consecration sich gänglich des Mitsingens und unordentlichen Geschreyes enthalten. Etenim Minister Ecclesiæ S. Cœnam administraturus Christi, Sacramentum hoc instituentis, vices tum solus gerit, quapropter & ipsum solum verba institutionis repetere oportet. Quemadmodum solus Christus in institutione hujus Sacramenti panem & vinum consecravit, non autem Apostoli, quibus distribuebantur; ita nec, quæ tum præsentia sunt, omnia Ecclesiæ membra Symbola illa consecrare debent, sed solus Minister. Quia igitur consecratio fit verborum institutionis repetitione, hinc ab eo solo repetenda sunt, minimè verò à toto præsentè coetu. Quapropter quando iste ordinem turbans mos, præsertim in pagis harum terrarum, penè invaluerat, meritò reprehendendus erat publicèque interdicendus.

THESIS. V.

Ut ad Cœnæ Dominicæ Sacramentum dignè percipiendum se magis præparandi occasionem homines haberent, introducta est privata peccatorum confessio, quam quidem non Calvino-Reformati solum, sed & inter nos quidam fanatico spiritu agitati homines abrogatam volunt. His autem opponimus verba *Apol. Aug. Conf. Art. VI. p. 181. Impium esset, ex Ecclesiâ privatam absolutionem tollere. Neque quid sit remissio peccatorum, aut potestas clavium, intelligunt, si qui privatam absolutionem aspernantur.* Si igitur absolutio privata tollenda non est, ergo nec confessio privata, quia hæc ab ista præsupponitur. Non tamen ideò damnamus Ecclesias, in quibus privata confessio non obtinet, probè scientes, illam expressum mandatum divinum non habere. Attamen nec aliæ Ecclesiæ propter illius usum damnandæ sunt, quia Scripturæ adeò non contraria est, ut illustre privatæ confessionis exemplum habeamus in Davide, 2. *Sam. XII. 13.* Cumque Christus sine ulla restrictione potestatem remittendi peccata

peccata Apostolis eorumque successoribus commisit, *Matth. XVI. 19. XIX. 18.* quis dubitaverit, posse illos eandem non publice tantum & ratione totius coetus, sed privatim etiam ac singularum personarum ratione usurpare?

THESIS VI.

Quamquam apud nos ita fiat, ut S. Synaxi usuri peccata sua coram Ecclesiae Ministro antè confiteantur, eorundemque remissionem petant; haud tamen illam consuetudinem absolutæ dicimus esse necessitatis, sed propter rudiores præcipuè observandam. Sic namque *BALDUINUS Lib. II. Cas. Consc. Cap. XII. Cas. 18.* ipsius Lutheri ex consilio: *Usurpandus est, inquit, hic ritus, non ut necessarius, qui salvâ conscientia omitti nequeat, sed ut indifferens: ideo qui sine contemptu, & sine studio singularitatis, tantummodo ne conscientie sua necessitatis legem imponat, ommissa confessione ad Sacram Coenam accedit, ei non est movendus scrupulus, quasi magnum admiserit delictum, nec Communionem recte usus sit. Nam Confessio privata propter absolutionem specialem, & informationem rudiorum imprimis introducta est.* Interea tamen hodie etiam sapientioribus magisque confirmatis non facile accedendum ad usum S. Coenæ est, sine prægressâ Confessione in locis, ubi eadem usu recepta, utpote quod vel studium innovandi proderet, vel sine simpliciorum ac infirmorum scandalo fieri vix posset. Uti enim nos omnes variè multumque peccamus & aberramus; ita dubium non est, quin & omnes absolutionem consolationis plenissimam desideremus, quæ eò fortiùs corda afficiet ac penetrabit, quò faciliùs in singulari nobis applicatur. Et sicuti, quæ licent, non omnia etiam ædificant aut conducunt, *I. Cor. VI. 12. X. 23.* ita in actionibus nostris non ad licentiam solum, sed & ad ædificationem respiciamus oportet. Maximè ut caveamus, ne aliis scandalo simus.

THESIS VII.

In Confessione omnium peccatorum mortalium, etiam occultorum, enumerationem particulatim facere Sacerdoti, quatenus adhibitâ morali diligentia fieri potest, jure divino necessarium esse iis, qui post Baptismum lapsi fuerunt, Pontificii docent atque propugnant. Vid. *LAYMANNI Theol. Moral. Lib. V. Tract. VI. Cap. IV. §. 1. 3.* Contra in Libris nostris Symbolicis, speciatim *Apol. Aug. Conf. Art. IV. Controv. p. 159. De enumeratione peccatorum*

in Confessione, sic docentur homines, ne laquei injiciantur conscientis. Etiam si prodest rudes assuefacere, ut quaedam enumerent, ut doceri facilius possint. Verum disputamus nunc, quid sit necessarium jure divino. Ex quibus apparet, liberum relinqui contentibus in Ecclesia nostra, si velint ac proficuum sibi duxerint, quaedam enumerare peccata, quid? quod, prodesse ipsum nonnunquam, fateamur, praesertim ut rudiores ad certa quaedam peccata se procliviores professi eo melius informari a Sacerdote, atque remedia adversus illa peccata edoceri possint. Remanet igitur quaestio: Num de jure divino enumeratio omnium peccatorum, quorum recordari contentes possunt, in Confessione necessaria sit, ut eorum remissio sperari nequeat, nisi peculiariter fuerint enumerata? Et hanc negamus, quoniam ea nec mandatum ullum nec ullam peculiarem promissionem in Scriptura habet, ut potius, quatenus cum onere conscientiarum sit, Scriptura sit adversa. Quoties namque non peccat homo, non solum ex malitia, sed ex infirmitate etiam & ignorantia? ut omnium suorum recordari peccatorum impossibile sit. *Pf. XIX. 12.*

#### THESIS VIII.

Poenitentiam acturus peccata sua, originale pariter atque actualia, agnoscat necesse est, siquidem peccatorum neminem poenitebit, qui, se illa commisisse, non agnoscit. Lex autem, peccatores nos esse, ostendit conscientiamque criminis laesae Majestatis Divinae convincit, *Rom. VII. 7. 8.* Hinc ergo dolor in animo exoritur, quem comitatur displicentia peccatorum, perturbatio ac inquietudo animi, cum serâ peccatorum detestatione. Hæc est contritio. Animum autem tali modo affectum ac dolore involutum Evangelium consolatur atque erigit, ostendens Christum, atque fidem in sufficientissimum illius meritum, pro peccatis nostris præstitum, in corde peccata dolentis accendit. Per fidem autem propositum melioris, DEO adjuvante, vitæ producit. Hæc quidem in poenitentia concurrunt, at diversimodè ad illam sese habent. Contritio enim & fides formalem ejus rationem, quasi partes constituentes, ingrediuntur: propositum autem melioris vitæ consequens tantum illius est.

#### THESIS IX.

Non est putandum, ac si tum demum solumque poenitentia sit agenda, quando cathedram confessionalem quis est accessurus.  
Quoniam

Quoniam enim omni die, ne dicam omni hora & momento, peccamus, poenitentia quoque iterum saepiusque agenda est. Estque illi omne tempus opportunum, locusque omnis aptus, etsi non externæ, quæ ore effunditur, tamen internæ, quæ corde peragitur. Etiam si quoque poenitentia sera, quæ vel sub vitæ finem contingit, si modò vera est, salutaris esse possit, ceu docet exemplum latronis, *Luc. XXIII. 40. seq.* valdè tamen periculosum est poenitentiam differre, juxta illud: *poenitentia sera rarò est vera.* Præterea ignoramus diem ac horam imminentiæ mortis, incerti, num tantum temporis superfuturum nobis sit, quo seriam veramque agere poenitentiam possimus. Scitè hinc Veteres: *Qui veniam promissit, crastinum non promissit.*

THESIS X.

Ad cultum DEI externum referuntur etiam juramenta, quia illis DEUS testis ac vindex invocatur, facereque possunt ad DEI gloriam & proximi utilitatem. De his autem in genere tenendum, quod temere ac frustra, sine urgente necessitate, jurare non liceat, multòque minus falsò, *Ex: XX. 7. Matth. V. 33.* Si autem vel res, quas jurejurando asseveramus, de DEI gloria agunt, vel, requirente Magistratu, ipsa veritas, in rebus arduis confirmandis, jurandi necessitatem imponit, tum juramentum præstare licitum est, adque externum DEI cultum refertur. Quando enim DEUS de juramento leges ipse tulit, ut v. g. *Ex. XXII. 11. Deut. VI. 13. X. 20.* & alibi quando & DEUS ipse, *Pf. CX. 4. Es. XL. 23.* & Christus, *Joh. VI. 26. 47.* (nam *to Amen, Amen,* juramenti formulam esse, patet ex *Ebr. VI. 13. 14.*) & Paulus *Rom. I. 9. IX. 1. 2. Cor. I. 23. XI. 31. Gal. I. 20.* & alii Sancti DEI Viri jurarunt: eorum modo, non sine peccato ullum juramentum dici, affirmari potest? nisi, & istos jurando peccasse, impiè dicere velis. Frustrà proinde Fanatici, juramenta Christianis licita esse, negant, quorum non usus, sed abusus, à Christo damnatur *Matth. V. 34. seq.*

THESIS XI.

Uti solus verus DEUS invocandus, ita & per illius solius nomen jurandum est. Etenim juramenta ritè concepta in DEI omniscientia, potentia & justitia fundantur. Quid verò, si res nobis est cum homine verum DEUM non agnoscente? Respondet PUFENDORFIUS *Lib. I. de Off. Hom. & Civ. Cap. XI. §. 4.* *In juramentis formula illa, quæ DEUS, dum testis & vindex invocatur, describitur,*

tur,

tur, accommodanda est ad persuasionem seu religionem, quam circa DEum fovet, qui jurat. Frustra quippe jurando quis adigitur per DEum, quem non credit, adeoque nec metuit. At nemo per DEum jurare se putat aliâ sub formulâ, aut alio sub nomine, quam quod sua, i. e. ex opinione jurantis vera, religionis præceptis continetur. Inde quoque est, quod, qui per falsos DEos jurat, quos ipse tamen pro veris habet, utique obligetur, & si sefellerit, revera perjurium admittat. Quia sub quocumque speciali conceptu generalem Numinis notionem ante oculos habuit, adeoque dum sciens pejeravit, divine Majestatis reverentiam, quantum in se, violavit. Conf. DURRIUS Part. III. Comp. Theol. Moral. Cap. II. Part. 2. S. 13. 14.

THESIS XII.

Vota sunt ejusmodi promissiones, quibus homo ad aliquid agendum aut omittendum sese liberè obstringit DEO. Equidem de illis DEO faciendis nullum in N. T. vel mandatum, vel promissum habemus; neque tamen interdicta Christianis sunt, quin ad eadem proferenda relicta nobis sit libertas, ut veluti pars quædam cultus divini spectari possint. Talia autem ut meritò æstimentur, legitime sese habeant, oportet. Debent enim esse libera, & ab animo deliberato profecta, fiant in rebus possibilibus, licitis, DEoque acceptis, dirigantur in gloriam DEI proximi que utilitatem. Quorum requisitorum unum alterumve si voto deest, non poterit ipsum pro legitimo haberi. Ex illis autem de votis Pontificiorum monasticis judicium nunc fiat, & DEO illa displicere facili momento agnoscetur.

THESIS XIII.

Ut vota, ita & jejunia apud DEum nilquidquam mereri posse, certi sumus; interim institui eadem, quatenus ad domandam carnem & devotionem majorem excitandam faciunt, possunt, sive publicè ab Imperante imperata fuerint, sive à libera cujuscumque voluntate profecta, modò omnis absit hypoerisis, à Christo prohibita *Matth. VI. 16.* nec indifere te fiant, cum valetudinis periculo, *Rom. XIII. 14. Col. II. 23.* Qui autem miraculosa Christi & Prophetarum jejunia imitari affectant, DEum tentando gravissimè peccant. Pontificiorum autem jejunia, quibus certis temporibus à carnis esu abstinent, nil minus quam jejunia sunt. Pro uno enim ciborum genere, quod tum interdictum superstitiosè putant, aliis lautioribus gulæ stomachoque indulgent.






Quoniam enim omni die, ne dicam omni hora & momentis, poenitentia quoque iterum saepiusque agenda est. illi omne tempus opportunum, locusque omnis aptus, & ternæ, quæ ore effunditur, tamen internæ, quæ corde percipiuntur. Etiam si quoque poenitentia sera, quæ vel sub vitæ finem si modò vera est, salutaris esse possit, ceu docet exemplis, *Luc. XXIII. 40. seq.* valdè tamen periculosum est perdifficillè, juxta illud: *poenitentia sera rarò est vera.* Præterea diem ac horam imminentis mortis, incerti, nullo temporis superfuturum nobis sit, quo seriam veramque poenitentiam possimus. Scitè hinc Veteres: *Qui veniam pro peccatis finium non promissit.*

THESIS X.

Ad cultum DEI externum referuntur etiam juramenta illis DEus testis ac vindex invocatur, facereque possunt ac riam & proximi utilitatem. De his autem in genere te quoque temere ac frustra, sine urgente necessitate, jurare multoque minus falsò, *Ex: XX. 7. Matth. V. 33.* Si autem quas jurejurando asseveramus, de DEI gloria agunt, vel, Magistratu, ipsa veritas, in rebus arduis confirmandis necessitatem imponit, tum juramentum præstare licitum externum DEI cultum refertur. Quando enim DEus de leges ipse tulit, ut v. g. *Ex. XXII. 11. Deut: VI. 13. X. 2.* quando & DEus ipse, *Pf. CX. 4. Es. XL. 23.* & Christus, *47. (nam to Amen, Amen, juramenti formulam esse Ebr. VI. 13. 14.)* & Paulus *Rom. I. 9. IX. 1. 2. Cor. I. 23. XI. 31.* & alii Sancti DEI Viri jurarunt: eoque modo, non sine iuramentum dici, affirmari potest? nisi, & istos jurasse, impiè dicere velis. Frustrà proinde Fanatici, juramentis Christianis licita esse, negant, quorum non usus, sed Christo damnatur *Matth. V. 34. seq.*

THESIS XI.

Uti solus verus DEus invocandus, ita & per illius nomen jurandum est. Etenim juramenta ritè concepta in conscientia, potentia & justitia fundantur. Quid verò, si reum cum homine verum DEum non agnoscente? Respondet *DORFIUS Lib. I. de Off. Hom. & Civ. Cap. XI. S. 4. In formula illa, quæ DEUS, dum testis & vindex invocatur*



the scale towards document